

ferentiae sic distinguuntur: quia vel est secundum naturam, & sic ponitur fornicatio quantum ad actum exteriorem, concupiscentia quantum ad actum interiorem: vel contra naturam, & sic est immunditia quantum ad actum exteriorem, libido quantum ad actum interiorem, quae intensionem concupiscentiae importat.

Ad tertium dicendum, quod in illis quattuor fornicatio pertinet ad concubitus soluti cum soluta; impudicitia comprehendit adulterium, & incestum, sicut immunditia continet species contra naturam; luxuria autem refertur ad actus interiores.

Ad quartum dicendum: quod Magister determinat hic de istis speciebus, secundum quod habent ordinem ad affinitatem, & consanguinitatem: & quia ex concubitu contra naturam non sequitur affinitas, ideo praetermisit species innaturales, & quia talis luxuria non est humana, sed bestialis, ut dicitur in VII. Ethicorum.

Ad quintum dicendum, quod virgo ex hoc quod defloratur, aliquid damnum incurrit praeter damnum castitatis, quia redditur minus apta ad matrimonium sequens: non autem vidua, sicut nec meretrix: & ideo non est similis ratio.

Ad sextum didendum, quod raptus supra stuprum addit specialem deformitatem, scilicet violentiam, & educationem de domo patris; & ideo distincta species ponitur a stupro.

Ad septimum dicendum, quod sacrilegium illud reducit ad species de quibus hic fit mentio: quia violatio habitus votum continentiae reducitur ad stuprum, vel magis ad adulterium, in quantum est Deo desponsata: sed illud quod committitur cum ea quae est conjuncta cognatione spiritali, reducitur ad incestum.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quaestionem dicendum, quod secundum hoc aliquis concubitus est magis peccatum, secundum quod magis distat a matrimoniali concubitu. Inter species autem hic enumeratas aliqua distat a matrimonio & quantum ad essentiam matrimonii, & quantum ad causam, quae est consensus, scilicet raptus; & ideo est maximum peccatum inter illa quae hic enumerantur. Aliae vero distant a matrimonio quantum ad essentiam tantum; sed hoc est dupliciter: quia illa cum qua concubuit, vel non est matrimonio conjuncta, sed potest matrimonio conjungi; vel nec est conjuncta, nec potest conjungi; & hoc magis distat. Si autem primo modo, aut per concubitus praestatur aliquid impedimentum sequenti matrimonio, aut non: primum enim magis distat. Si autem non potest matrimonio conjungi, vel non potest aliqua conditione extante, vel non potest simpliciter in perpetuum; & hoc magis distat. Et secundum hoc patet quod fornicatio simplex est minimum peccatum inter ista: quia illi cum qua concubuitur, nullum novum impedimentum respectu sequentis matrimonii infertur: & post hoc est stuprum per quod infertur impedimentum mulieri, ut non illa facile postmodum nubere possit: & post hoc est adulterium, quod est concubitus ad illam quae non potest duci in uxorem, dum vir ejus vivit; & post hoc est incestus, qui committitur cum illa quae simpliciter uxor esse non potest: & post hoc est raptus, qui matrimonio contrahitur non solum

(1) Al. nisi probatione.

quantum ad essentiam, sed etiam quantum ad causam. Et hic est ordo eorum secundum genus suum consideratorum. Tamen potest quandoque hic ordo variari secundum diversas circumstantias. Omnium tamen horum gravius est peccatum contra naturam.

Ad primum ergo dicendum, quod adulterium non solum est peccatum, quia est contra castitatem, sed quia est contra jus divinum, quod habet vir in uxorem.

Ad secundum dicendum, quod quamvis non possit dispensari quod aliquis ducat in uxorem illam cum qua comittit adulterium vivente viro; tamen aliquo casu contingente potest eam in uxorem ducere absque dispensatione, scilicet post mortem viri: quia adulterium primum non dirimit matrimonium contractum, nisi in aliquo casu, ut prius (dist. xxxv. in expositione litterae) dictum est.

Ad tertium dicendum, quod quamvis possit postmodum duci in matrimonium consentiente puella, & parentibus; tamen quantum ad praesens pertinet, maxime a matrimonio distat, ut ex dictis patet.

ARTICULUS V.

Utrum conjugium quod inter affines, vel consanguineos est contractum, semper sit per divortium dirimendum.

1. AD quintum sic proceditur. Videtur quod conjugium quod inter affines, vel consanguineos est contractum, non semper sit per divortium dirimendum. Quia quos conjunxit Deus, homo separare non debet. Cum ergo Deus facere intelligatur quod Ecclesia facit, quae quandoque tales ignoranter conjungit; videtur quod si postmodum in notitiam veniant, non sint sperandi.

2. Praeterea. Favorabilis est vinculum matrimonii quam dominii. Sed homo per longi temporis praescriptionem acquirit dominium in re cuius non erat dominus. Ergo per diuturnitatem temporis matrimonium ratificatur, etiam si prius ratum non fuit.

3. Praeterea. De similibus simile est iudicium. Sed si matrimonium esset dirimendum propter consanguinitatem, tunc in casu illo quando duo fratres habent duas sorores in uxores, si unus separatur propter consanguinitatem, & alius separari deberet pari ratione; quod non videtur. Ergo matrimonium non est separandum propter consanguinitatem, vel affinitatem.

Sed contra. Consanguinitas, & affinitas impediunt contrahendum, & dirimunt contractum. Ergo si probatur consanguinitas, vel affinitas, separandi sunt, si de facto contraxerint.

QUAESTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod ad separationem matrimonii quod est inter affines, & consanguineos contractum, non sit procedendum per viam accusationis. Quia accusationem inscriptio praecedit, quae aliquis se ad rationem obligat (1) si in probatione defecerit, sed haec non requiruntur, quando agitur de matrimonii separatione. Ergo accusatio ibi locum non habet.

2. Praeterea. In causa matrimonii audiuntur solum propinqui; ut in Titula dicitur. Sed in accusationibus audiuntur etiam extranei. Ergo in causa separationis matrimonii non agitur per viam accusationis.

Praeterea.

(1) In edit. Nicolai deest favor.

3. Praeterea. Si matrimonium accusari deberet, tunc praecipue hoc esset faciendum quando minus difficile est quod separetur. Sed hoc est quando sunt tantum sponsalia contracta, tunc autem non accusatur matrimonium. Ergo numquam de caetero debet fieri accusatio.

4. Praeterea. Ad accusandum non praeceditur alicui via per hoc quod non statim accusat. Sed hoc fit in matrimonio: quia si primo tacuit, quando matrimonium contraheretur, non potest postea matrimonium accusare, nisi quasi suspectus. Ergo &c. Sed contra. Omne illicitum potest accusari. Sed matrimonium affinium, vel consanguineorum est illicitum. Ergo de eo potest esse accusatio.

QUAESTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod in tali causa non sit procedendum per testes, sicut in aliis causis. Quia in aliis causis adducuntur ad testificandum quicumque sunt omni exceptione majores. Sed hic non admittuntur extranei, quamvis sint omni exceptione majores. Ergo &c.

2. Praeterea. Testes suspecti de privato odio, vel amore, a testimonio repelluntur. Sed maxime possunt propinqui esse suspecti de amore respectu unius partis, & odio ad partem alteram. Ergo non est audiendum eorum testimonium.

3. Praeterea. Matrimonium est favorabilius quam aliae causae, in quibus de rebus pure corporalibus agitur. Sed in illis non potest esse idem accusator, & testis. Ergo nec in matrimonio, & ita videtur quod non conveniatur in ista causa per testes procedatur. Sed contra. Testes inducuntur in causis, ut super his de quibus dubitatur, fiat iudici fides. Sed ita faciendum est iudici fides in causa ista sicut in aliis causis, quia non debet praecipitae sententiam de eo quod non constat. Ergo procedendum est hic ex testibus, sicut in aliis causis.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quaestionem, quod cum omnis concubitus praeter legitimum matrimonium sit peccatum mortale, quod Ecclesia omnibus modis impedire conatur, ad ipsam pertinet eos inter quos non potest esse verum matrimonium, separare, & praecipue consanguineos, & affines, qui sine incestu contrahere non possunt carnaliter.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis Ecclesia dono, & auctoritate divina fulciatur; tamen in quantum est hominum congregatio, aliquid ex defectu humano in actibus ejus provenit, quod non est divinum: & ideo illa conjunctio quae fit in facie Ecclesiae impedimentum ignorantis, non habet inseparabilitatem ex auctoritate divina, sed est contraria auctoritatem divinam errore humano inducta, quae excusat a peccato, cum sit error facti, quamvis diu manet: & propter hoc quando impedimentum ad notitiam Ecclesiae venit, debet praedictam conjunctionem separare.

Ad secundum dicendum, quod illa quae sine peccato esse non possunt, nulla praescriptione firmantur: sed potest denunciari impedimentum, ne matrimonium contrahatur. Ad tertium dicendum, quod illa quae sine peccato esse non possunt, nulla praescriptione firmantur: sed potest denunciari impedimentum, ne matrimonium contrahatur.

(2) In edit. Nicolai deest favor.

Ad tertium dicendum, quod res inter alios acta alii non praedicit in foro contentioso: unde quamvis unus frater repellatur a matrimonio unius sororum ex causa consanguinitatis, non propter hoc separat Ecclesia aliud matrimonium quod non accusatur. Sed in foro conscientiae non oportet quod semper obligetur ad hoc alius frater ad dimittendum uxorem suam, quia frequenter tales accusationes ex malevolentia procedunt, & per falsos testes probantur. Unde non oportet quod conscientiam suam informet ex his quae sunt circa aliud matrimonium facta.

Sed distinguendum videtur in hoc. Quia aut habet certam scientiam de impedimento matrimonii, aut opinionem, aut neutrum. Si primo modo, nec exigere, nec redere debet. Si secundo, debet reddere, sed non exigere. Si tertio, potest & reddere, & exigere.

SOLUTIO II.

Ad secundam quaestionem dicendum, quod accusatio ad hoc est instituta, ne aliquis sustineatur quasi innocens qui culpam habet. Sicut autem ex ignorantia facti contingit quod aliquis homo reputatur innocens qui in culpa est, ita ex ignorantia alicujus circumstantiae contingit quod aliquod factum reputatur licitum quod illicitum est; & ideo sicut homo accusatur quandoque, ita & factum ipsum accusari potest; & sic matrimonium excusatur quando propter ignorantiam impedimenti aestimatur legitimum quod est illegitimum.

Ad primum ergo dicendum, quod obligatio ad poenam talionis habet locum quando accusatur persona de crimine, quia tunc agitur ad punitionem ejus. Sed quando accusatur factum: tunc non agitur ad poenam facientis, sed ad impediendum hoc quod est illicitum. Et ideo in matrimonio accusator non se obligat ad aliquam poenam; sed talis accusatio potest & verbo, & scripto fieri, ita quod exprimat & persona accusans matrimonium quod accusatur, & impedimentum propter quod accusatur.

Ad secundum dicendum, quod extranei non possunt scire consanguinitatem, nisi per consanguineos, de quibus probabilis est quod sciant: unde quando ipsi tacent, suspicio habetur contra extraneum, quia ex malevolentia procedat, nisi per consanguineos probare voluerit: unde repellitur ab accusatione, quando sunt consanguinei qui tacent, & per quos probari non potest. Sed consanguinei, quantumcumque sint propinqui, non repelluntur ab accusatione, quando accusatur matrimonium propter aliquod impedimentum perpetuum, quod impedit contrahendum, & dirimit contractum. Sed quando accusatur ex hoc quod dicitur non fuisse contractum, tunc parentes tamquam suspecti sunt repellendi, nisi ex parte illius qui est inferior dignitate, & divitiis, de quibus probabiliter aestimari potest quod libenter vellent quod matrimonium staret.

Ad tertium dicendum, quod cum matrimonium nondum est contractum, sed sponsalia tantum, non potest accusari, quia non accusatur quod non est; sed potest denunciari impedimentum, ne matrimonium contrahatur.

Ad quartum dicendum, quod ille qui primo tacuit, quandoque auditur postea, si velit matrimonium accusare, quandoque repellitur, quod patet ex decretali Innocentii III. extra. Qui matrimonium ac-

cu-

cusare possunt cap. Quod in tua, §. Si vero) quæ sic dicit. Si post contractum matrimonium aliquis apparet accusator, cum non prodierit in publicum, (1) quando secundum consuetudinem in Ecclesiis edebatur, utrum vox suæ debeat accusationis admitti, merito quæri potest. Super quo respondemus, quod si tempore denuntiationis præmissæ is qui jam (2) conjunctus impetit, extra diocesim existeret, vel alias denuntiatio ad ejus non potuit notitiam pervenire; ut puta si nimia infirmitatis fervore laborans sanæ mentis patiebatur exilium, vel in annis erat tam teneris constitutus quod ad comprehensionem talium ejus ætas sufficere non valebat, seu alia causa legitima fuerit impeditus; ejus accusatio debet audiri: alioquin, tamquam suspectus, esset proculdubio repellendus, nisi juramento firmaverit quod post didicerit ea quæ objecerit, & ad hoc ex malitia non procedat.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod in hac causa oportet quod per testes veritas pateat, sicut & in aliis. Tamen, ut Juristæ dicunt, in hac causa multa specialia inveniuntur; scilicet quod idem potest esse accusator, & testis; & quod non juratur de calumnia, cum sit quasi causa spiritualis, & quod consanguinei admittuntur ad testificandum; & quod non observatur omnino ordo judiciarius, quia tali denuntiatione facta contumax potest excommunicari lite non contestata: & valet hic testimonium de auditu, & post publicationem testium testes possunt induci. Et hoc totum est ut peccatum impediatur, quod in tali conjunctione esse potest.

Et per hoc patet solutio ad objecta.

DISTINCTIO XLII.

De spiritali cognatione.

DE parentalium graduum famosa quæstione aliquid, licet minus sufficienter, diximus. Item de spiritali cognatione addimus, quæ etiam personas impedit ut non sint legitimæ ad invidas nuptias. (4) Tria quædam sunt, consanguinitas, affinitas, & spiritalis germanitas. Consanguinitas est inter eos qui junguntur secundum lineam generis. Affinitas inter eos qui genere quidem non sunt conjuncti, sed mediante genere sunt sociati: verbi gratia, uxor filii fratris mei, quæ non est de genere meo, (5) per ipsum qui est de genere meo, mihi affinis facta est, & ego illi. Spiritalis proximitas est inter compatrem & commatrem, & inter eos quorum unus alterum de sacro fonte levavit, vel in catechizatione, aut confirmatione tenuit. Est etiam inter filios ejusdem hominis carnales, & spirituales.

Qui sint filii spirituales

Spirituales filii sunt quos de sacro fonte levamus, vel in catechizatione, seu confirmatione tenemus. Filii etiam, & filie spirituales (6) eorum sunt qui trinæ mersionis vocabulo eos sacro baptisate tingunt. Dicitur etiam spiritalis filia sacerdotis, quæ ei peccata sua confitetur. Unde Symmachus Papa: (a) Omnes quos in penitentia suscipimus, ita nostri spirituales sunt filii, ut & ipsi quos vel nobis suscipiuntibus, vel sub trinæ mersionis vocabulo mergentibus unda baptismi regeneravit. Silvester etiam ad monet, ut ad suam filiam penitentialem nullus sacerdos accedat: quia scriptum est, Omnes quos in penitentia acceperimus, ita nostri filii sunt, ut in baptismo suscepti, quorum omnium flagitiosa est commixtio. Quod autem compater, & commater sibi jungi nequeant, nec pater spiritalis, nec mater filie, vel filio spiritali, ex Concilio Moguntinensi (7) docetur. De eo quod interrogasti, si aliquis filiolum suam duxerit uxorem, & de eo qui concubavit cum matre spiritali, & de eo qui filium suum baptizavit, & uxor ejus eum de fonte suscepit hac de causa ut dissidium fieret conjugii; si post in tali copula possunt permanere, sic respondendum est. Si filiolum, aut commatrem suam aliquis in conjugium duxerit,

(1) Nicolai: quando banna secundum consuetudinem in Ecclesiis reddebatur. (2) Al. conjunctus impedit. (3) Nicolai per vim. (4) Nicolai. Tria quædam sunt in quibus Christianorum conjugio lex indicta est, consanguinitas &c. (5) In edit. Nicolai deest per ipsum qui est de genere meo. (6) Al. duorum. (7) Al. deest docetur. Ex EDIT. P. NICOL. (a) Refertur in Decretis causa xxx. quæst. 11. cap. Omnes. (b) Idem. (c)

duxerit, separandos esse judicamus, & gravi penitentia plectendos. Si vero conjuges legitimi, vel unus, vel ambo ex industria hoc fecerint, ut filium suum de fonte suscipiant, si innupti manere voluerint, bonum est. Sin autem, gravis penitentia insidiatorum injungatur, & simul maneat; & si prævaricator conjugii supervixerit, accerrima penitentia mulctetur, & sine spe conjugii maneat. Ex his apparet quod aliquis filiolum suam, vel commatrem non potest sibi copulare nuptialiter, & si præsumptum fuerit, separandi sunt. Qui autem legitime conjuncti sunt, non ideo separandi sunt, quia alter eorum insidiosè filium de fonte levavit. Quod etiam Nicolaus confirmat dicens (ubi supra cap. Nosse desideras). Nosse desideras, utrum mulier quæ viri filium ex alia femina genitum de sacro fonte levaverit, postmodum possit cum eodem viro copulari. Quos ideo conjungi posse decernimus, quia secundum canones sacros, nisi amborum consensu, nullius religionis obtentu debet conjux dimittere conjugem, cum Apostolus præcipiat I. Corinth. vii. 5. Nolite fraudari invicem, nisi forte ex consensu ad tempus &c. Item (b) Dicitur est nobis, quasdam feminas desidiose, quasdam vero fraudulenter, ut à viris suis separantur, priores filios coram Episcopis ad confirmandum tenuisse. Unde non dignum duximus ut si qua mulier filium suum desidia, aut aliqua fraude coram Episcopo tenuerit ad confirmandum, propter fallaciam, vel fraudem, quamdiu vivit, penitentiam agat, tamen à viro suo non separetur. Item Joannes Papa: (c) Ad limina Sancti Petri homo nomine Stephanus veniens, nostro præsulatu innovit, quod filium suum in extremo vitæ positum nondum baptismi unda lotum, & absentia sacerdotum cogente baptizavit, eumque propriis manibus suscepit, atque pro hujusmodi negotio reverentia tua præfatum hominem à sua conjugis judicavit esse separandum: quod fieri nullatenus debet, dicente Scriptura (Matth. xix. 6) Quos Deus conjunxit, homo non separet. Et Dominus non dimittit uxorem nisi causa fornicationis juberet. Et nos tanta auctoritate freti, dicimus dimittendum esse, & inculpabile judicandum, quod necessitas intulit. Nam baptizandi opus laicis fidelibus, si tamen necesse fuerit, libere conceditur. Unde si supradictus homo filium mortem aspiciens, ne animam perpetuo perire dimitteret, unda baptismi lavit, ut eum de potestate mortis eriperet, bene fecisse laudatur. Ideoque suæ uxori sibi jam olim legitime sociatæ impune dum vixerit, judicamus manere conjunctum, nec ob hoc separandum esse. His, aliisque pluribus auctoritatibus edocetur, conjuges non esse separandos, si post legitimam copulam alter alterius filium de fonte levaverit, vel in confirmatione tenuerit.

Quid præmissis obviat.

HIS autem obviare videtur quod Deusdedit Papa (d) ait: Pervenit ad nos diaconus (5) vester, sanctitatis vestræ epistolam deferens, quod quidam viri, & mulieres præterito sabbatho paschali præ magno (6) populi incursu nascentes filios suos suscepissent de lavacro. Cupis ergo scire, an (7) propter hoc debeant viri ac mulieres ad proprium usum redire, vel non. Nos vero hac re mæsti priorum (8) inquisitionibus, dicta, & invenimus in archivis, idest in armariis apostolicæ sedis, jam talia contigisse in pluribus Ecclesiis quarum Episcopis ab hac apostolica sede volentibus scire, utrum viri ac mulieres redirent ad proprium thorum, beatæ memoriæ (9) Sancti Patris Julii (10) Papa, Innocentius, & Celestinus cum Episcoporum plurimorum consensu in Apostolorum Principis Ecclesia (11) præsidentes talia rescripserunt, & confirmaverunt, ut nullo modo se in conjugio reciperent viri ac mulieres quicumque hac ratione suscepti sint natos, sed separarent se, ne suadente diabolo tale vitium invalescat. Item (e) Si quis filiarum, vel filiarum suam ante Episcopum tenuerit ad confirmationem, separetur ab uxore sua, & aliam nunquam accipiat. Hæc autem vel ad terrorem dicta sunt, non quod ita esset faciendum, sed ne illud fieri sumopere cavendum: vel de illis est intelligendum qui prius filios suos vicissim de fonte susceperunt, quam fierent conjuges. Præmissis autem auctoritatibus omnino consentiendum est, ut sive proprium, sive tantum viri filium mulier de fonte susceperit, non ideo à viro separetur: quod de viro similiter oportet intelligi.

De copula spiritualium, vel adoptivorum, & naturalium filiorum.

Quod autem spirituales, vel adoptivi filii naturalibus copulari nequeant, Nicolaus Papa testatur, (f) ita inquiens. Ita diligere debet homo eum qui se suscepit de sacro fonte sicut patrem. Inter fratres & filios spirituales gratuita, & sancta communitio est; quæ dicenda non est consanguinitas, sed habenda spiritalis proximitas. Unde inter eos arbitror non posse fieri legale conjugium, quia nec inter eos qui natura, & eos qui adoptione filii sunt, venerandæ leges matrimonia contrahi permittunt. Item. Si inter eos non contrahitur matrimonium quos adoptio jungit, quanto potius à carnali oportet inter se contubernio cessare, quos per cæleste sacramentum regeneratio Sancti Spiritus vincit?

Si filii qui ante (12) compaternitatem, vel post nati sunt, valeant conjungi.

HOC autem quidam volunt intelligere de illis tantum filiis quibus compatres facti sint. De aliis vero qui ante compaternitatem, vel post geniti sunt, concedunt quod legitime, & licite possunt: quibus videtur consentire Urbanus secundus (g) dicens: Super quibus consultui nos tua dilectio, sic videtur respondendum, ut & baptismus fiat, si instante necessitate femina puerum in nomine Trinitatis baptizaverit; & quod spiritalis.

(5) Al. deest vester. (6) Nicolai populorum. (7) Idem propterea. (8) Idem addit patrum. (9) Idem sanctissimi. (10) Apud eundem deest Papa. (11) Idem: prohibentes talia præscripserunt: ut in textu Decreti. (12) Al. paternitatem. Ex EDIT. P. NICOL. (b) Ex Concilio Cabilonensi II. cap. xxxi. (c) Nempe VIII. in rescripto ipso Papæ, ut videre est tibi supra. (d) Gordiano Episcopo Hispanensi rescribens; & refertur in Decretis caus. xx. q. i. c. Pervenit. (e) Ex Concilio Vermeriensi cap. 111. & refertur ibid. cap. Ad limina (f) Nempe primus Bulgarorum consultis respondendo: & refertur ubi supra q. 111. cap. Ita diligere. (g) Ad Vitalem presbyterum Brixiensem: & refertur in Decretis ubi supra cap. Super quibus.